lorum ignauiā et tamen in nobis odimꝰ. quia

ignaui eſſe nolumus . Sic lapides equoſq; et cetera q̄ licet diligamus . ipſi tn̄ nolum⁹ hoc eſſe etiā ſi poſſimus .

## De fictis amicicijs . Cap . 29 .

Cito ꝑ aduerſa fraudulentus patz amicus nā in ꝓſpitate incerta ē amicitia . nec ſcit vtrū perſona . an felicitas diligatur . Sepe per ſimulacōnem amicitia colit . ut qui nō potuit apte decipere decipiat fraudulenter . Tunc quiſq; magis fit pietati iuſticieq; diuine contrarius . quādo deſpicit amicū aliqua aduerſitate ꝑcuſſum . Qua in re et ſibi occaſionem mercedis tollit . ⁊ erga percuſſione proximi crudelis exiſtit veluti factum eſt inter lazarū vlceroſum diuitē q; ſuperbum . Per aduerſa igitur ⁊ proſpa comprobatur ſi vtiq; diligatur vere deus ⁊ ꝓxim⁹ quia dum aduerſa procedunt amicus fraudulentus detegitur . ſtatimq; deſpicit quē ſe diligere ſimulauit . Amicitia vera nulla vi excluditur nullo tempore aboletur . vbicūq; enim ſe vertit tempus . illa firma eſt . Rari ſunt qui vſq; in finem exiſtāt cari . nam multos a caritate aut aduerſitas temporis . aut contencō quelibet actionis auertit . Sepe ⁊ per honorem quorūdam mutantur ⁊ mores . ⁊ quos ātea ꝯglutinatos caritate habuerāt poſtq̄ ad culmen honoris venerint amicos habere deſpiciūt .

De amicicia munere orta. Cap. 30.

INter viros amicicia a beniuolencia oritur que ex interfacto beneficō adiungitur. Nō ſunt fideles in amicicia. quos min⁹ non gratia copulat. qui cito deſerūt. niſi ſemper acceperint dilcāo enim que munere glutinatᷓ eodem ſuſpē ſo diſſoluitur. Jlla verā eſt amicicia que nichil querit ex rebus amici. niſi ſolā beniuolencia ſcilicet ut gratis amet amātem. Plerūqꝫ amicicia ex neceſſitate vel indigēcia naſcitur. ut ſit ꝑ quem quiſqꝫ quod deſideāt ꝯſequatur. Jlle autem veraciter querit qui nichil egēdo eam appetit. nam illa ex inopia breuis eſt et fugitiua iſta pura atqꝫ perpetua.

De malorū cōcordia. Cap. 31.

AMicicia in rebus tātū bonis habenda eſt nam qui ea in malo vtūtur. non ſibi amici ſed inimici exiſtunt. Cōcordia malorū. cōtraria ſolet eſſe bonorum. Et ſicut optādum eſt ut pacem boni habeant inuicem. ſic optādum ut mali inuicem ſint diſcordes. Vnanimitatem quippe malorum bonis eſſe cōtrariam paulus apl's approbat. qui malos ꝯtra ſe diuidit quos in necem ſuam cō cordaſſe ꝯſperit. Jnde et in lege mare rubrum. hoc eſt malorū hominū cōcordia diuiditur. ut electorum via tendens ad beatitudinē non impediatᷓ. Jmpeditur enim iter bonorū

ſi mare hoc eſt vnitas non diuiditur iniquo
rum .

¶ De correpcōne fraterna ¶ Cap. 32.

NOn debet vicia alioꝝ corripere. qui adhuc
vicioꝝ contagionibus ſeruiūt. Improbū
eſt enim arguere quēq̄ in alio qd adhuc rep
hendit in ſemetipſo . Qui veraciter vult frater
nam corripere ac ſanarē infirmitatem. talem ſe
preſtare fraterne vtilitati ſtudeat ut eum quē
corripere cupit humili corde admoneat. ⁊ hoc fa
ciat ex compaſſione ꝯmunis periculi. ne forte
⁊ ipſe ſubiciatur temptacōi . Sicut ſpiritales vi
ri alieni peccati emendacōnem expectant . ita
proterui delinquentibus deridendo inſultant
et quantum in ipſis eſt eos inſanabiles putāt
nec declinant cor ad compaciendi miſericordi
am . ſed ſuperbientes deteſtantur atq; blaſphe
mant . Non numq̄ accidit ut inter amicos ſit
aliqua redargucōnis enutrita diſcordia . que
maiorem poſtea caritatem parturiat utputa
cum corriguntur ea que diſplicere in amico vi
dentur. Et hoc quidem primum non ſine qua
dam emulacione admonitus ſuſcipit . ſed cor
rectus poſtmodum gratias agit . Ac cōtra mlť
ti pro parua leſione vim caritatis reſcindūt. ⁊
ab amore dileccionis ſeſe perhenniť retrahūt
Pleriq; correpcionem ſuam officium caritatis

exiſtimant. Pleriqꝫ vero hoc ipſū quod ex cari
tate corripiuntur ad iniuriam cōtumeliāqꝫ tra
bunt. Vñ ⁊ euenit ut ex eo deteriores efficiant
quo emendare obediēter potuerūt. Salubriter
accipiunt iuſti quociens de ſuis exceſſibꝫ argu
unt. Superflua autē ē humilitas eoꝝ qui ſe egiſ
ſe accuſant que nō admiſerūt. Qui vero ſine ar
rogancia bona facta ſua ꝓnūciat procul dubi
o nequaꝗ̄ peccat. Eſt quorūdam excuſacō per
verſorum qui dum pro ſuis facinoribꝰ arguūt
verba iuſtoꝝ ꝑ cenſura declinanda abiciūt ſer
uātes ſe diuino iudicō q̊ puniendi ſūt duriꝰ dū
tempalem cōtempnunt iudicari ſe ab homini
bus. Iniquis moleſta eſt veritas ⁊ amara diſ
ciplina iuſticie. nec delectātur niſi placēcie pro
prie imbecillitatis. Iniuſticie fecūdi. ⁊ ſteriles
veritati. ceci ad contuēdam lucē ⁊ oculati ad te
nebrarū aſpiciendū errorem. Corda reproboꝝ
lubrica ſunt ad male ꝯſenciendū et fluxum. ad
bene cōſenciēdū duriſſima. Probat ſalomō et
iuſti emendacōnem correpti. ⁊ ſtulti obſtinacō
nē admoniti dicēs. Doce iuſtū et feſtinabit ac
cipe. De ſtulto autē ait. Qui erudit deriſorem ip
ſe ſibi facit iniuriam. Nōnullos eſſe prauitatis
homines qui dū ipſi a malo corrigi negligunt
correptorū falſa criminacōe detrectāt ⁊ ad ſui
ſceleris ſolaciū vſurpant. ſi vel falſo cōpererint

q̄d ad famam bonorum obiciūt ſicut eſt illud ex ſalomone. Bona in malum cōuertit impius et electis imponit maculam. Ve autem illi qui et ſuam rennuit corrigere vitam et bonorum nō deſinit detrahē. Pleriqȝ mali ſimiles ſibi in malo defendūt et procinio ſuo prauos ɔtra correpcōnem bonoꝝ ſuſcipiunt. ne vn̄ diſplicēt emendetur. adicientes in ſe aliena delicta. ut nō tantū de ſuis malis. ſ etiā de alioꝝ facinoribȝ puniantur quoꝝ peccata defendūt.

¶ De prepoſitis eccleſie. ¶ Cap. xx.

Vir eccleſiaſticus et crucifigi mūdo p mortificacōe ꝓprie carnis debȝ. et diſpēſacōeȝ eccleſiaſtici ordinis ſi ex dei voluntate ꝑuenerit. nolēs q̄dē ſ humil' gubnandā ſuſcipiat. Multis intercipit ſathanas fraudibȝ eos qui vite et ſeſus vtilitate p̄ſtātes preeſſe et ꝓdeſſe alijs nolūt et dū eis regimē aiaꝝ imponit̄ rēnuūt. ɔſulcū⁹ arbitrātes ocioſā vitā degere q̄ꝫ lucris aiarū inſiſtere. Q̄d tn̄ decepti agūt p argumētū dyaboli fallētis eos p ſpē bonī. ut dum illos a paſtorali officio retrahit nequaq̄ꝫ ꝓficiant qui eorum verbis atqȝ exēplis inſtrui poterāt. Sācti viri nequaq̄ꝫ occupacōnum ſecularium curas appetunt. ſed occulto ordine ſibi impoſitas gemunt. et quāuis illas per meliorē intencionem fugiant. tamen per ſubditam mētem portant

Quas quidē ſuo opere ſi liceat vitare feſtinant. ſꝫ timentes occultam dei diſpenſacōem ſuſcipiūt quod fugiunt exercēt quod vitarē noſcunt. In trant enim ad cor et ibi cōſulunt quid velit vo lūtas dei. ſeſeqꝫ ſubditos debere eſſe ſummis or dinacōnibus ꝯgnoſcentes humiliāt ceruicem cordis iugo diuine diſpenſacōis.

## De malignis prepoſitis. Cap. 38.

NOn ſunt promouēdi ad regimē eccleſie. q̄ adhuc vicijs ſubiacēt. Hinc eſt qꝺ prece ptum eſt dauid non edificare viſibile tēplum qꝛ vir ſāguinū bellorum frequencia eſſet. Qua figura illi ſpiritaliter ammonētur. qui adhuc corrupcōni ſunt dediti ne edificēt. hoc eſt eccle ſiam docere preſumāt. Non debet honoris duca tum ſuſcipe qui neſcıt ſbiectos tramite vite me lioris preire. Neqꝫ enim quiſqꝫ ad hoc prefici tur ut ſbditoꝝ culpas corrigat. q ipſe vicijs ſer uiat. Qui regimē ſacerdocij cōtendit appetere. ante in ſe diſcuciat ſi vita honori ſit ꝯgrua. Quod ſi non diſcrepat humiliter ad id q̄ ducat acce dat. Reatū quippe culpe geminat ſi quis cū cul pa ad ſacerdotale culmē aſpiāt. Vniuſcuiuſqꝫ caſus tanto maioris ē criminis. q̄to plus q̄ ca deret maioris erat virtutis. precedencium nāqꝫ magnitudo virtutū. creſcit ad cumulū ſequēci um delictorum. Pleriqꝫ ſacerdotes ſue magis

vtilitatis cauſa. q̄ꝫ gregis preeſſe deſiderāt. nec ut proſint preſules fieri cupiunt ſ; magis ut di uites fiant ⁊ honorent. Suſcipiūt enim ſublimita tis culmē. non ꝑ paſtorali regimine. ſ; pro ſoli us honoris ambiciōne. atq; abiecto ope dignita tis. ſolam nominis appetunt dignitatē. Dū ma li ſacerdotes de ignorāte non fiant. tamē igno rātur a deo ipſo per ꝓphetam teſtāte. Principes extiterūt ⁊ non cognoui. Sꝫ h̄ neſcire dei repro bare eſt. Nā deus oīa nouit.

De indoctis prepoſitis. Cap. 37.

Sicut iniqui ⁊ peccatorēs miniſteriū ſacerdo tale aſſequi ꝓhibentur. ita ⁊ indocti ⁊ im piti a tali officio retrahūtur. Illi enim exēplis ſuis vitā bonorū corrūpūt. iſti ignauia ſua ini quos corrigere neſciūt. Quid enim docere potu erūt qd ipſi nō didicerūt. Deſinat locū docēdi ſuſcipere q̄ neſcit docere. Ignorantia quippe pre ſulum vite nō ꝯgruit ſubiectorum. Cecus enim ſi ceco ducatum prebeat ambo in foueam cadūt Sacerdotes indoctos dominꝰ per yſaiam ꝓphe tam improbat dicens. Ipſi inquit ſacerdotes ignorauerūt intelligētiam. Et iterū. Speculato res ceci omnes id ē impiti epi neſcierūt. vniu ſi inquit canes muti non valentes latrare. hoc eſt plebes ꝯmiſſas non valētes reſiſtendo ma lis p verbū doctrine defendere.

## ¶ De doctrina et exemplis prepoſitorū. Cap. 36.

Nam doctrine q̄ vita dare debet eccleſiaſticus doctor. Nā doctrina ſine vita arrogantem reddit. vita ſine doctrina inutilē facit. Sacerdotis predicacō opibus cōfirmanda eſt. ita ut quod docet verbo. inſtruat exēplo. Vera eſt illa doctrina. quā viuendi ſequit̄ forma. Nam nichil turpius eſt q̄ ſi bonū q͏ꝫ quiſqꝫ predicat explere ope negligit. Tūc enim predicacio vtiliter profertur quādo efficaciter adimpletur. Vnuſquiſqꝫ doctor et bone actionis. et bone predicacōnis habere debꝫ ſtudium. Nā alterū ſine altero non facit perfectū. ſꝫ precedet iuſtus bene agere ut ſequēt̄ poſſit bene docere. Sicut in nūmiſmate metallū. podꝰ. et figura inquiritur. ita in omni doctore eccleſiaſtico. q̄d ſequat̄. quid doceat. quomō viuat. Per qualitatē igitur metalli doctrina. per figurā ſimilitudo patrū. p pondus humilitas deſignat̄. Qui vero ab hijs tribus diſcrepauerint non metallū. ſꝫ terra erit.

## ¶ De hijs q̄ bene docēt et male faciūt. Cap. 37.

Interdum doctoris vicō. etiā ipſa verax doctrina vileſcit. et qui non viuit ſicut docet. ipſā quam predicat veritatē cōtemptibilem facit. Arcus peruerſus eſt lingua magiſtroꝝ docētiū bene. et viuēcium male. et ideo quaſi ex peruerſo arcu ſagittā emittunt dum ſuam prauā

vitam ꝓprie lingue arcu ɔfodiūt. Qui bn̄ docet et male viuit qđ dicit bene viuentibꝫ ꝓficit. qđ vero male viuit ſeipſū occidit. Si ſacerdos dignissime agit ut ſacerdotē decꝫ. miniſteriū eius a ipſo et aliis vtile eſt. Indigne autem viuens aliis quidem vtilis eſt. loquendo. ſe autem interficit male viuendo. ac per hoc quod in illo mortuum eſt proprium eius eſt. qđ vero viuit in eo. id eſt ſacrum miniſteriū alienū eſt. Qui bene docet et male viuit. videtur ut cereꝰ. qui aliis bonum exponit lucem preſtare. ſe vero in malis ſuis conſumere atqꝫ extinguere. Qui bene docet et male viuit bonū malo videtur coniungere. lucem tenebris cōmiſcere. veritatē mēdaciō mutare.

De exēpl̄ ſacerdotū. Cap. 38.

Sepe per quos iuſticia docet̄. p ipſos peccati morbus irrepit et mors ad plebes pertranſit. ſcilicet dum vel male docent. vel dum faciūt praua. Pleriqꝫ ſacerdotes a clerici praue viuētes forma ceteris in malum exiſtunt. qui in bonis exemplum eſſe debuerunt. Hii enim quoſcumqꝫ exemplo male ɔuerſacōnis ſue perdunt de illis procul dubio racōnem reddituri ſūt. Ex carnalium prepoſitorum exemplo pleꝝqꝫ fit vita deterior ſubditorum. Et plebis merito fiunt tales ſacerdotes qui exēplo deteriore populum

deſtruāt ⁊ non edificēt. Ex merito enim plebis
nōnūq̄ epi deprauantur. q̄tinus ꝑ viciis ſuis
corruāt qui ſequūtur. Capite languēte. cetera
corporis menbra inficiūtur. Vñ ſcriptū eſt. Om
ne caput languidū ⁊ omne cor merēs a planta
plebis vſq; ad verticem non eſt in eo ſanitas.
Caput enim languidū. doctor eſt agēs peccatū
cuius malū ad corpus venit. dum eo vł peccan
te vel praue docēte peſtifer lāguor ad plebes ſb
ditas trāſit. Deteriores ſūt qui ſiue doctrina ſi
ue exemplis vitā moresq; bonoꝝ corrumpunt
hiis qui ſubſtantias alioꝝ prediaq; diripiūt.
Hij enim ea que extra nos. ſ; tamē ea que no
ſtra ſunt auferūt. corruptores vero moꝝ ꝓprie
n ſipſos decipiūt. quia vere diuicie hominum
mores coꝝ ſunt. Multū enim diſtant dampna
moꝝ. a dampnis rerū tpalium. dum iſte extra
nos ſūt. mores vero in nobis.

## De prepoſitis carnalibus. Cap. 39.

PRouidēcia plerūq; diuini cōſilij ordinanē
prepoſiti mūdana ⁊ exteriora ſectāt es. ut
dum tpalibus rebus ſe totos impendūt. ſpiri
tales tuciorē vitam cōtēplacōis exerceāt. Que
dura ſūt ſumūt quiete viuere volēciū ſarcina
curarū epiſcopalium. Proinde; ſepe deus curis
deditos ſecularib⁹ ad ſuſceptōnē regiminis ut
dū hij exteriora ſine tedio ꝑcurāt. ſpiritales

rebus interioribus ſine impedimēto rerum ter
renarū deſeruiant. Dei ergo ordinem accuſāt a
quo inſtituūtur qui epōs cōdempnant dum mi
nus ſpiritalia. ſed magis terrena ſectāt. Ex di
uini enim tabernaculi diſpoſitione ob iniurias
mundi ferendas a turbines. quoſdam inſtitui
epōs ſecularibus curis inſiſtentes conſtat. ut
hij quī internis a ſuperna deſiderāt. nullo terre
no obſiſtente negocīo liberius hoc ꝙ amāt in
tendant. Non eſt itaqȝ iudicandum a plebe re
ctor inordinatus. dum magis nouerint populi
ſui fuiſſe merito peruerſi regimen ſe ſuſcepiſſe
pontificis. Nam pro meritis plebium diſponi
tur a deo vita rectorum. exemplo dauid peccā
tis ad cōpacōnē principum qui ex merito ple
bis preuaricantur. Sentencia dampnātur chā
filij noe qui ſuorum prepoſitorū culpas in pub
licum produnt. ſicut cham qui patris puden
da non opiūt. ſed deriſa monſtrauīt. Habituri
ſunt meritum ſem a iafeth qui reuerēter operi
unt que patres ſuos exceſſiſſe cognoſcunt. ſi ta
men patrū facta non diligāt. ſed tantū opiant
nec imitentur. Nam ſunt q̄ prepoſitos ſuos per
uerſe iudicāt dū terrenis ſtudijs plus eos vi
dēt eē intētos. ſi ꝉ parū iā ipi de ſpiritalibȝ cogi
tauerint. Rcōres ergo iudicādi a deo ſūt a ſuis
autē ſubditis nequaq̄ȝ iudicādi ſunt. Exemplo

domini qui per ſe vendentes colūbas ⁊ nūmu
larioꝝ mēſas ꝓprio euertit flagello. ⁊ proiecit
de templo. vel etiā ſicut ꝓpheta dixit. Deus ſte
tit in ſynagoga deoꝝ in medio autē deos diiu
dicat. Quod ſi a fide exorbitauerit rector. tunc e
rit arguēdus a ſubditis. pro moribus vero re
probis. tollerandus magis ꝙ diſtringendus
a plebe eſt.

¶ De iracūdis doctoribus. ¶ Cap. xl.

IRacūdi doctores per rabiē furoris diſcipli
ne modū ad immanitatē crudelitatis cō
uertunt. ⁊ vn̄ emendare ſubditos poterāt inde
pocius vulnerāt. Ideo ſine menſura vlciſcitur
culpas prepoſitus iracūdꝰ qꝛ cor eius diſperſū
in rerū curis nō colligitur in amorem vnius dei
tatis. Mēs enim ſoluta in diuerſis. nō aſtrin
gitur cathena caritatis. ſed male laxata male
ad oēm occaſionem mouetur.

¶ De ſupbis doctoribus. ¶ Cap. xli.

BOnus rector eſt qui ⁊ in humilitate ſeruat
diſciplinam. et ꝑ diſciplinā nō incurrit ſu
perbiam. Elati aūt paſtores plebꝭ tyrānice pre
mūt non regūt. quiqꝫ nō dei ſꝫ ſui gloriam a ſub
ditis exigūt. Multi ſunt qui verbo doctrine nō
humiles ſed arrogātes exiſtunt. quiqꝫ ipſa re
cta que predicant nō ſtudio correctōis ſed vi
cio elacōis ānūciāt. Multi ſūt qui nō ex cōſultu

edificādi ſed ex tumore ſuperbiendi docēt. Nec ut proſint ſapiētes ſūt ſed ut ſapientes videā tur docere ſtudent. Eſtimacō praua arrogantiū ſacerdotum. per quā imitantur ſanctos rigore diſcipline. et ſequi negligūt caritatis affectionē videre appetūt rigidi ſeueritate et formā humi litatis preſtare nequeunt. ut magis terribiles q̄p mites videantur. Superbi doctores vulnera re pocius q̄p emēdare norūt ſalomone atteſtā te qui ait. In ore ſtulti virga ſuperbie. quia in crepādo rigide feriunt et ↄpati humiliter neſci unt. Bene alieni peccati curanda vicia ſuſcipit. qui hoc ex cordis dilectione et humili ↄſcientia facit. Ceterum qui delinquentem ſuperbo vel o cioſo animo corripit. non emēdat ſed percutit. Quicq̄d enim ꝓteruus vel indigtus animus ꝓ tulerit. furor eſt obiurgātis. non dilectio corri gentis.

## De humilitate prepoſitoꝝ. Cap. XX.

Qui preficitur ad regimen taliter erga diſ ciplinam ſubditoꝝ preſtare ſe debꝫ ut nō ſolū auctoritate veꝝ etiā humilitate clareſcat Sed tn̄ ita erit in eo virtus humilitatis ne diſ ſoluatur vita ſbditorum in vicijs. Atqꝫ ita au ctoritas ad erit poteſtatis. ne per tumorē cordis ſeueritas exiſtat immoderacōnis. Hec eſt in dei ſacerdotibꝫ vera diſcrecō q̄ ne per libertatem

ſupbi. ne per humilitatē remiſſi ſint. Hinc eſt
ꝙ ſancti cū multa cōſtantia redarguerūt etiā
principū vitia. In quib9 cū ſumma humilitas
eſſet. loco tamē neceſſario libere trāſgreſſionē
iuſtitie increpabāt. Aliquando etiā nos ſubdi
tis oportet animo eſſe humiliores. quoniam fa
cta ſubditoꝝ iudicantur a noƀ. noſtra vero de
us iudicat. Agnoſcat eps ſeruū ſe eſſe plebis
non dñm. Verū hec caritas non ɔdicō exigit.

¶ De doctrine diſcrecōne. ¶ Cap. xx.

NOn omnibus vna eadēq3 doctrina eſt ad
hibenda. ꝗ pro qualitate morū diuerſa ex
hortacō erit doctorū. nam quoſdam increpacō
dura. quoſdā exhortacō blanda corrigit. Sicut
periti medici ad varios corpis morbos. diuerſo
medicamine ſeruiūt. ita iuxta vulnerū varieta
tes medicina diuerſa ſit. ita ꝗ doctor eccleſie ſin
gulis quibuſq3 ɔgruū doctrine remediū adhi
bebit. et q̄d vnicuiq3 oporteat pro etate ꝓceſſu
atq3 profeſſione ānūciabit. Nō omnibus ea q̄
ſunt clauſa apienda ſunt. ſunt enim multi qui
capē nō pñt. Quib3 ſi indiſcrete manifeſtēt. ſta
tim aut detrahūt aut negligūt. Prima quippe
prudētie virtus eſt eam. quā docere oporteat ex
iſtimare pſonam. Rudib3 populis ſeu carnali
bus. plana atq3 cōia. nō ſūma atq3 ardua pre
dicanda ſūt. ne immēſitate doctrine opprimāt

pocius q̃ erudiántur. Vnde et paulus apoſto lus ait. Non potui vobis quaſi ſpiritalibus lo qui ſed quaſi carnalibus. tamq̃ paruulis in criſto lac vobis potum dedi non eſcam. Carna libus q̃ppe animis nec alta nimis de celeſtibus nec terrena conuenit predicare. ſed mediocri ter. vt vicia eorum moresq; deſiderant edoce ri. Coruus dum pullos ſuos viderit albi colo ris. nullis eos cibis alit. ſed tantum attendit donec paterno colore nigreſcant. et ſic illos fre quenti cibo reficit. Ita et eccleſie ſtrennuus do ctor niſi eos quos docuerit viderit ad ſuam ſimi litudinem penitencia confeſſionis creſcere. et ni tore ſeculari depoſito lamentacionis habitum de peccati recordacōne induere. utpute exteriori bus adhuc id eſt carnalibus. non apit intelli gentie. ſpiritalium profundiora miſteria. ne dum audita non capiunt. plus incipiant con tempnere q̃ venerari mādata celeſtia. Aliter a gendum eſt erga eos qui noſtro cōmittuntur regimini ſi offendūt. atq; alit̄ cū hijs q̄ nob̄ cō miſſi nō ſūt. Qui ſi iuſti ſūt venerādi ſūt. ſi vero deliquūt. ꝑ ſola caritate ut locus ē corripiendi ſunt. non tamen cū ſeueritate ſicut hij qui nob̄ regendi cōmiſſi ſunt. Prius docendi ſunt ſenio res plebis. ut ꝑ eos infra poſiti facilius doceāt Vn̄ et ap̄ls. Hec inq̄t cōmēda fidelib; hominib;

qui ydonei sūt ⁊ alios docere. Ingeniū bonū do
ctoris est incipientis a laudibꝫ eoꝝ quos salu
briter obiurgandos corrigere cupit. sicut apl's
ad corintheos facit quos a laudibꝯ inchoat sed
increpacōibus ꝓbat. Sed erāt apud chorinthe
os qui ⁊ laudibꝯ ⁊ increpacōibus digni essent
Ille vero indiscrete sic eque omnibꝯ loquit᷑ ut
omniū vtraqꝫ ɔuenisse videatur.

## De silencio doctorum. Cap. xx.

PRo malo merito pleb' aufertur doctrina p̄
dicacōnis. Pro bono merito audiētis tri
buitur sermo doctoris. In potestate diuina ɔsi
stit. cui velit deꝯ doctrine verbū dare. vel cui au
ferre. ⁊ hoc. aut pro dicētis aut ꝓ audientis fit
merito. ut modo ꝓ culpa plebis auferatur ser
mo doctoris. modo vero ꝓ virtutibꝫ meritis tri
buatur. Nam ⁊ bonꝯ docet bonū. ⁊ malus malū
qđ tamē fit iuxta meritū populoꝝ. Nō omnia
tpa ɔgruūt doctrine scđm salomonis sētenciā
dicentis. Tempꝯ tacendi ⁊ tēpus loquēdi. nō
quidem ꝑ timorem sed ꝑ discrecōnem. ꝓpter ma
loꝝ corruptibilē iniq̄tatē. nūq̄ electos oportꝫ
a doctrina cessare. Interdum doctores ecclesie
calore caritatis ardētes ɔticescunt a docendo. q2
nō est qui audiat testāte ꝓpheta. Ciuitates au
stri clause sunt. ⁊ nō est qui aperiat. Qui docē
di accipit officiū. si interdum ad tempus facta

proximi taceat. q̄ ſtatim corrigere poteſt et diſſimulat. verum eſt qđ ꝯſēſū erroris alieni habeat. Pleriq; ſancti doctores ꝓ mali ꝑtinacia quia iniquos emēdare nequeūt hijs tacere diſponunt Sed calorem ſpiritus quo agunt ferre nō ſuſtinentes. iterum in increpacōnē proſiliunt in piorem.

De precedēda ſacerdotali protectione in plebe Quibus docēdi forma cōmiſſa ē. Cap. xx.

Q multū ſubeūt piculi ſi contradicentibz veritati reſiſtere noluerint. dū ꝓpheta doctorē eccle inſtruat vſq; ad ſūmū iuſticie puenire cū dicit Sup montem excelſum aſcende tu qui euangeliſas ſyon ſcilicet ut ita preemineat merito ſicut et gradu. Sequenter ne forte debeat a docendo timore reſtringi audit. Exalta in fortitudine vocē tuā et noli timere. vñ et ihieremie dñs ait. Accinge lūbos tuos et ſurge et loquere ad eos. ne formides a facie eorum. nec enim timere te faciam vultū eorum. Vnde et apparet quia nō timere dei donum eſt. Qui perſonā potentis accipit et veritatē loq̄ paueſcūt. multaē grauī culpe ſentencia. Multi enim ſacerdotes metu poteſtatis veritatem occultāt et a bono opē vel a iuſticie predicacōne. rei alicui9 formidine aut poteſtate terrente auertuntur. Sed heu procdolor inde metuūt. quia ꝑ amore rerū ſecularium implicāē

vel quia aliquo facinoris ope cõfunduntur. Multi preſules eccleſiarũ timentes ne amicitiã pdãt et moleſtiã odiorum incurrãt. peccãtes non arguunt. et corripere oppreſſores pauperũ verentur. Nec pertimeſcunt de ſeueritate reddẽde racõnis. pro eo quod oticeſcũt de plebibus ſibi cõmiſſis. Quãdo a potẽtibus pauperes opprimũtur ad eripiẽdos eos boni ſacerdotes protectionis auxiliũ ferunt. nec verentur cuiuſque inimicitiarum moleſtias. ſed oppreſſores pauperum palam arguũt. increpant. excõicant. minuſque metuũt eorum nocendi inſidias etiam ſi nocere valeãt. Paſtor enim bonus animã ſuam ponit pro ouibus ſuis. Sicut puigilat paſtor quĩ contra beſtias oues cuſtodiẽ ſolet. ita et dei ſacerdos ſupra gregẽ xpi ſollicitus eſſe debet. ne inimicus vaſtet. ne pſecutor impetat. ne potẽcioris cuiuſque cupiditas vitam pauperum inquietet. Praui paſtores non habẽt curã de ouibus. ſed ſicut legitur in euãgelio de mercenariis vident lupũ venientẽ et fugiunt. Tũc enim fugiũt qñ potẽtibus tacẽt et malis reſiſtere metuunt.

De diſciplina ſacerdotũ in eos q̃ delinquũt Cap. 86.

Sacerdotes populorũ iniqui tate dñant. ſi eos aut ignorãtes non erudiãt aut peccãtes non arguãt teſtante domino ad prophetam. Speculatorẽ dedi te domui iſrl. Si

non fueris locutus ut cuſtodiat ſe impius a vi
a ſua. ille in iniquitate ſua morietur. ſāguinem
vero eius de manu tua requiram. Sic enim hely
ſacerdos pro filiorum iniquitate dampnatus ē
Et licet eos delinquentes ammonuit. ſed tamē
ut oportebat non redarguit. Sacerdotes exqui
rere debent peccata populorū et ſagaci ſollicitu
dine vnumquēq; probare iuxta teſtimonium
domini ad ieremiā loquētis. Probatorem in
quit dedi te populo meo robuſtū et ſcientem pro
babis vias eorum. Sacerdotes ſtudio corrigē
di facta perſcrutari debēt ſubiectorum. ut emen
datos lucrifacere poſſint. Sicut autē peccatorē
cōuenit argui ita iuſtū non exulcerari. Sacer
dotes curam habere debent de hijs qui peccāt. ut
eorū redargucōe aut corrigātur a peccatis aut
ſi incorrigibiles exiſtunt ab eccleſia ſeparēt. A
trociē arguūt q̄ decipiēdo peccantes nō ſolū qr
nō arguūt p peccato. ſ; etiā adulātes decipiūt.
dicēte ꝓpheta. Et erūt q̄ beatificāt populū meū
ſeducentes et qui beatificāt precipitati. Atrociē
iteꝝ arguūtur q̄ peccātē nō recipiūt. ſed deſpici
unt et ſpernūt. nec alterius delictū tāq̄ ꝓpriū in
gemiſcunt. De talibus per yſaiam dominus
cōminans ait. Qui dicunt recede a me non ap
propinques michi. quia immundꝰ es. iſti fu
mꝰ erūt in furore meo. ignis ardens tota die

Inde eſt q̄d ⁊ apoſtulus omnia omnibus factꝰ
eſt·non imitacōne erroris·ſꝫ miſeracōne cōpaſ
ſionis.ſcilicꝫ ut ita vitia aliena fleret·quemad
modū ſi tali et ipſe implicaretur errore. Boni
paſtores populi debēt delicta deflere ⁊ totos ſe
planctibus tradere imitātes iheremiā ꝓphetā
dicētem. Quis dabit capiti meo aquā ⁊ oculis
meis fontem lacrimarū. ⁊ plorabo die ac nocte
interfectos populi mei. Tanq̄ igitur ꝓpria deli
cta plebꝭ peccata ſacerdos flere debet. ſꝫ affectu
cōpaciēdi nō actione ꝯmiſſi. Nonulli preſules
greges quoſdā ꝓ peccato a cōione eiciūt ut pe
niteāt·ſed quali ſorte viuere debeāt ad meliꝰ
exhortando nō viſitāt· quibꝫ cōgrue increpās
ſermo diuinꝰ cōminatur. Paſtores qui paſcūt
populū meū·vos diſperſiſtis·gregē meum·eie
ciſtis ⁊ non viſitaſtis eos· Ecce ego viſitabo ſu
per vos maliciā ſtudiorū veſtrorū. Bonorū ſtu
dia ſacerdotū·multa diligēcia etiam p̄ua plebi
um facta perquirūt. Vt dū in minimis ſubdito
rū peccatis.ſe acerrimos preſtāt·meliores ma
los caueant ſibi.ſubditoſqꝫ ac ſollicitos faciāt
Sicut medici morbos imminētes curādos ſuſci
piunt·futuros vero ne irrepāt·medicine obie
cte quadā p̄ſciētia antecedūt·ita ⁊ doctores bo
ni·ſic ea que male acta ſunt reſecant ut ea que
ꝯmitti pñt·ne perpetrētur doctrina ſuccurrēte

preueniant. Qui blando verbo caſtigatus non corrigitur acrius neceſſe eſt arguatur. Cum do lore enim abſcidenda ſūt que leuiter ſanari nō poſſunt. Qui ammonitus ſecrete corrigi de pec cato negligit. publice arguendus eſt. ut vul nus qđ occulte ſanari neſcit manifeſte debeat emendari. Manifeſta peccata nō ſunt occulta correctione purganda. Palam enim ſūt argu endi qui palā nocent. ut dum apta obiurgacō ne ſanantur. hij qui eos imitādo deliquerāt cor rigantur. Dum vnus corripitur plurimi emen dantur. Neceſſe eſt enim ut pro multorum ſal uacōne vnus emendetur. ꝗ͞ per vnius licētiam multi periclitentur. Ita ergo in delinquētem ſer mo eſt proferēdus. ſicut eius qui corripitur ex poſtulat ſalus. Qđ ſi opus aliquā meditamen ti ſalutem verbo increpacōnis aſpergere. leni tatem tamen in corde opus eſt retinere. Docto res nonnūꝗ͞ duris feriunt increpacōnibus ſꝰb ditos. quū tamen a caritate eoꝝ quos corripiūt non recedunt. Sepe eccleſie cenſura arroganti bus videtur eſſe ſuperba. ꝛ quod a bonis pie fit. crudeliter fieri putatur a prauis. quia nō diſcernunt recto oculo. quod a bonis recto fit animo. Notādum ab omni pontifice vehemen ter ut tanto caucius erga cōmiſſos agat. quā to durius a xp̄o iudicari formidat. Nam ſicut

ſcriptū eſt in qua menſura mēſi fueritis remecietur vob. Cotidienamq; omnes delinq̄mus et in multis erroribȝ labimur. Qui enim in noſtris delictis demētes ſumus· in alieno peccato rigorem tenere nequaq̄ debem⁹. Multi alioꝝ vitia cernūt· ſua non aſpiciūt· Et cū ipſi maximis criminibus obnoxii teneātur· minora pcc̄a fratribus nō dimittūt. ypocrite trabē in oculo ſuo cōſiſtētem non ſentiunt· a herentē feſtucam in lumine fratris intendūt. Facilius reprehēdim⁹ vitia aliena q̄ noſtra· nā ſepe q̄ peruerſa in aliis iudicamus· in nobis nocibilia eſſe minus ſentimus· nec q̄d boni quiſq; geſſerit agnoſcere· ſed q̄d mali egerit pſcrutari feſtinamus.

## De ſubditis. Cap. xl.

PRopter pcc̄m primi hominis humano generi pena diuinit⁹ illata eſt ſeruitutis· ita ut quibus aſpiciāt non cōgruē libertatē· in hos ꝓpter melius irrogȝ ſuitutē. Et licȝ p pcc̄m humane originis· tamē equus deus ideo diſcreuit hominibus vitā· alios ſeruos cōſtituens alios dn̄os· ut licētia male agendi ſeruoꝝ· poteſtate dominātiū reſtrīgatur. Nam ſi omnes ſine metu fuiſſent· quis eſſet qui a malis quēpiā cohiberet. Vn̄ ⁊ in gentibus reges· principeſq; electi ſunt ut terrore ſuo populos a malo cohercerēt atq; ad recte viuendū legib⁹ ſubderēt. Quātū

attinet ad racõnem. non eſt perſonarum accep
cio apud deum. qui mundi eligit ignobilia et
contemptibilia ↄ que nõ ſunt ut ea que ſunt de
ſtrueret ne glorietur omnis caro hoc eſt carna
lis potencia coram illo. Vnus enim dominus
equaliter ↄ dominis cõſultum fert ↄ ſeruis. Me
lior eſt ſubiecta ſeruitus ꝙ̄ elata libertas. Mul
ti enim inueniuntur deo libere ſeruientes ſb̄ do
minis ↄſtituti flagiſioſ. Qui ↄ ſi ſubiecti ſūt ill'
corpe. prelati ſunt tñ mēte.

De prelatis. Cap. xx.

Vir iuſtus aut omni poteſtate ſeculari exui
tur. aut ſi aliqua cingitur nõ ſub illa curua
tur ut ſuperbus timeat ſed eam ſubiciat ut hu
milior innoteſcat. Probatur hoc apoſtolico ex
emplo qui datam ſibi poteſtatem etiam nec ad
hoc qd licebat vſus eſt. ſed dum poſſet vti. lici
ta abnuit ſeſeqꝫ ut paruulum in medio eorum
quibus preeāt oſtendit. Qui in appetendis ho
noribus ſeculi aut pſpitatibꝫ inſtanti deſudat
labore ↄ hic et in futuro vacuus inuenitur a re
quie. Tantoqꝫ ſarcinis peccatorum grauatur.
quāto a bonis opibꝫ alien9 exiſtit. Quāto qſqꝫ
āpli9 ſecularis honoris dignitate ſb̄limat̄. tāto
grauius curarū pōderibꝫ aggrauat̄. eiſqꝫ magis mē
te ↄ cogitacõe ſubicit̄ qbꝫ ſb̄limitatis gdu ꝑpo
nit̄. Nā ut quidā patrū ait. oē qd deſup eminet

plus afficitur merorib⁹ q̄ honoribus gaudet.
Quāto quiſq; curis mūdi maioribus occupatur
tanto facilius vicijs premitur. Si enim vix va
let pccā animi⁹ deuitare quietus. quāto magis
ſeculari occupacōne deuinct⁹. Non ſtatim vtile
eſt omne poteſtatis inſigne. ſ; tunc vere eſt vti
le ſi bene regatur. Tūc enim gerit bene quādo
ſubiectis ꝓdeſt quibus terreni honores ꝑferūt.
Poteſtas bona eſt deo donāte. ut malū timore
cohereat. nō timere ut malū omittat. Nichil
autē peius q̄ p poteſtatē peccādi habere liberta
tē. nichilq; infelici⁹ mali agēdi felicitate. Qui
intra ſeculū bn̄ tpalit imperat. ſine fine in ppe
tuū regnat. et de gloria hui⁹ ſeculi ad eternam
trāſmeat gloriā. Qui vero praue regnū exercēt
poſt veſtem fulgētē. et lumina lapillorum nudi et
miſeri ad inferna torquēdi deſcendūt. Reges a
recte agēdo vocati ſūt. ideoq; rcē faciendo regis
nomē tenet peccādo etiā amittitur. Nā et viros
ſāctos ꝓinde reges vocari in ſacris eloquijs.
eo q recte agāt ſeſuſq; ꝓprios bn̄ regāt. et mo
tus ſibi reſiſtentes. racōnabili diſcrecōne cōpo
nāt. Recte ergo illi reges vocāt qui tā ſemetipſos
q̄ ſbiectos bn̄ regēdo modificare nouerūt. Qui
dā ipſū nomē regiminis ad immanitatē tranſ
uertūt crudelitatis. dūq; ad culmē poteſtatis
venerint. in apoſtaſiā ɔfeſtim labūtur. tātoq;

cordis tumore ſe extollũt ut cunctos ſubditos in ſui cõparacõne deſpiciant. eosq; quibus pre eſſe ɔtigit non agnoſcant. Quibus congrue per eccleſiaſ  ten dicitur. Ducem te cõſtituerunt no li extolli. ſed eſto in illꝭ quaſi vnus ex illis. Dũ mundi reges ſblimiores ſe ceteris ſentiãt. mor tales tamen ſe eſſe cognoſcant. Nec regni glo riam ſeculo in qua ſublimãtur aſpiciant. ſed o pus qd ſecum ad inferos deportent intendant Si ergo carebũt huius tẽporis gloria. illa agãt que poſt finem ſine fine poſſideant. Dum apo ſtolus dicat non eſt poteſtas niſi a deo. quomõ dominus per ꝓphetam de quibuſdam poteſtati bus dicit. Ipſi regnauerũt ſed non ex me. Qua ſi diceret non me propicio ſed irato. Vnde et in ferius per eundem ꝓphetam dicit. Dabo inquit tibi regem in furore meo. Quo manifeſtius elu cet bonam malãq; poteſtatem a deo ordinari. ſʒ bonam propicius. malã iratus. Reges quando boni ſunt muneris eſſe dei. quãdo vero mali ſce leris eſſe populi. Secdm enim meritum plebium diſponitur vita rectorũ. teſtante yob. Qui reg nare facit ypocritam ꝓpter peccata populi. Ira ſcente enim deo talẽ rectorẽ populi ſuſcipiũt qlẽ ꝓ peccõ merentur Nõnũq; ꝓ malitia pleb. etiam reges mutãt. Et qui ãte videbãtur eſſe boni ac cepto regno fiunt iniquĩ.

## De iuſticia principum. Cap. 29.

Qui recte vtitur regni poteſtate ita ſe preſtare omnibꝫ debet. ut quãto magis honoris celſitudine claret. tanto ſe ipſũ mente humiliet. preponẽs ſibi exemplũ humilitatis dauid q̃ de ſuis meritis nõ tumuit ſꝫ humilit̃ ſe deiciẽs dicit. Vilis incedã et vilis apparebo ãte dñm qui elegit me. Qui recte vtitur regni poteſtate formã iuſticie factis magis q̃ꝫ verbis inſtruit. Iſte nulla ꝓſpitate erigitur nulla aduerſitate turbat. nõ innititur ꝓpriis viribus. nec recedit a deo cor eius. Regni faſtigiũ humili preſidet animo. Nõ enim delectat iniquitas. nõ inflat cupiditas. ſine fraudacõe alicui⁹ ex paupe diuitem facit. Et qđ iuſta cupiditate a popul' extorquere poterat. miſericordi clementia donat. Dedit de⁹ principibus p̃ſulatũ pro regimine populoꝝ. et ill' eos preeſſe voluit cũ quibus eis vna eſt naſcẽdi moriendiqꝫ cõdicõ. Prodeſſe enim debet populis principatus nõ nocere nec dominãdo p̃mere. ſed ↄdeſcẽdẽdo ↄſulere ut vere ſit vtile hoc poteſtatis inſigne ut domũ dei ꝓ tuicõne vtantur mẽbra xpi. Mẽbra q̃ppe xpi fideles ſunt populi quos dũ ea poteſtate quã accipiũt optime regũt. bonam vtiqꝫ viciſſitudinem deo largitori reſtituũt. Bon⁹ rex facilius ad iuſticiam a delictoꝝ lapſu trãſfertur ut noueris hic

esse casum illic profectum. In proposito eius esse debet numq̄ egredi a veritate. Q̄d si casu ti tubare cōtigerit mox resurgere debet.

## De paciencia principum. Cap. 10.

Plerūq3 princeps iustus etiam malorū er rores dissimilare nouit. non q̄ iniquitati eorum ꝯsensiat. sed q̄d aptum tempus correcti onis expectet. quādo eorum vicia. vel emenda re valeat vel punire. Multi aduersus principes coniuracōnis crimine deteguntur. sed probare volens deus clemētiam principum. illos male cogitare permittit istos non deserit. Dum illoꝝ malis istos bene facit. dum culpas quas illi a gunt. isti mira paciencia indulgent. Reddere malum pro malo. vicissitudo iusticie est. sed qui demenciam addet iusticie non malum pro malo culpatis reddit. sed bonum pro malo of fensis impetit.

## De delictis principum vel exēplis. Cap. 11.

Difficile est principem regredi ad meliꝰ si vicijs fuerit occupatus. Populi enim peccantes iudicem metuunt. et a malo suo legibus coercentur. reges autem nisi solo dei timore metuq3 gehenne coerceantur libere in preceps ꝓruūt. et per abruptum licētie in om ne facinꝰ vicorū labunt̄. Quāto quisq3 in supi ori ꝯstitutꝰ est loco tāto in maiori versat̄ ꝑiculo

Et quanto ſplendoris honore celſior quiſq; eſt tanto ſi delinquat peccato maiori obnoxius eſt Potẽtes enim potenter tormẽta paciũtur. Cui enim plus cõmittit. plus ab eo exigitur. etiã cũ vſura penarũ. Reges vitam ſubditoꝝ facile ex ẽplis ſuis l' edificãt vel ſubuertũt. Ideoq; principem non oportet delinquere. ne formã peccandi faciat. peccati eius impunita licentia. Nã rex qui ruit in vicijs. ſubiectis abrupta oſtẽdit erroris. ſicut legit' de iheroboã qui peccauit et peccare fecit iſrl'. Illi enim aſſcribit' quicqd' exemplo eius a ſubditis ꝑpetratur. Nam ſicut nonnulli ſubditorũ bonorũ principum deo placita facta ſequũtur. ita facile multi praua eorum exempla ſectantur. Pleriq; autẽ eorum apud iniquos principes neceſſitate magis q̃ꝫ voto mali exiſtunt dũ imperijs eorũ obediunt. Nonnulli autem ſicut ꝓmi ſũt ſequi reges in malum. ita pigri ſunt imitari illos in bonũ. Sepe vñ mali reges peccãt. inde boni iuſtificãtur. dũ precedenciũ cupiditatem ⁊ maliciam corrigũt. Nã reuerã peccis eoꝝ cõicãt ſi qđ illi diripuerũt ẽtẽtẽt iſti Cuius peccatũ quiſq; ſequitur. neceſſe eſt ut eius penam ſequatur. Neq; enim eſt impar ſupplicio cui⁹ errori q̃ſq; par eſt ac vicio.

¶ Qđ principes legibus teneãtur. ¶ Cap. 12.

IVſtū eſt principem legibus obtpare ſuis. Tunc enim iura ſua ab omnibꝫ cuſtodienda exiſtimet qn̄ ⁊ ipſe legibꝫ ſuis reuerentiam prebet. Principes in terrenis legibus ſuis. nec in ſe poſſe dāpnare iura q̄ in ſubditis ɔſtituunt Juſta ē enim eoꝝ vocis auctoritas ſi qđ populis prohibent. ſibi licere nō paciātur. Sub religione diſcipline poteſtates ſbiecte ſūt et q̄uis culmine regni ſint prediti vinculo tamen fidei tenentur aſtricti. ut fidē xpi ſuis legibus predicēt. etiam fidei predicacōnem moribus bonis cō ſeruēt.

¶ De poteſtate principū in eccl̄ia. Capitulū. lj.

PRincipes ſeculi nōnūq̄ intra eccleſiam poteſtatis adepta culmina tenent. ut per eādem poteſtatem diſciplinam eccleſiaſticam muniant. Ceterū intra eccleſiā poteſtates neceſſarie non eſſent niſi ut q̄ nō preualēt ſacerdotes efficere per doctrine ſermonem. poteſtas hoc imperet per diſcipline terrorē. Sepe p regnum terrenū celeſte regnū proficit. ut qui intra eccleſiam poſiti cōtra fidem ⁊ diſciplinam eccl̄ie agunt rigore principū ɔterātur. Ipſamqꝫ diſciplinā quā eccl̄ie vitalis doctrina exercē non preualet ceruicibꝫ ſupboꝝ poteſtas pricipal' inponat et ut veneracōez mereat. v̄tute ptātis icipiat Cognoſcāt pricipes ſeculi deo debere ſe reddē racōez

pro eccleſia·quā a criſto tuendam ſuſcipiunt.
Nam ſiue augeatur pax et diſciplina eccleſie p
fideles principes ſiue ſoluat ille racōne ab eis
exigit q̄ eorū poteſtati ſuā eccleſiam credidit.

De iudicibus. Cap. lx.

Ad delictū pertinet principum qui prauos
cōtra voluntatem dei populis fidelib9 prefe
rūt. Nam ſicut populi delictū eſt. quando prin
cipes mali ſunt. ſic principis eſt peccatū quādo
iudices iniqui exiſtūt. Bonus iudex ſicut noce
re ciuibus neſcit. ita prodeſſe omnib; nouit. A
lijs enim preſtat ſenſurā iuſticie. alijs bonita
tem iudicia ſine perſonarū accepcōne ſuſcipit.
non infirmat iuſticiā auaritie flamma. nec ſtu
det auferre alteri qd̄ cupiat ſibi. Boni iudices
iuſticiam ad optinēdam ſalutē eternam ſuſci
piunt. nec eam muneribꝰ acceptis diſtribuūt
ut dum de iuſto iudicio tpalia lucra nō appetūt
premio eterno ditēt. Omnis qui recte iudicat
ſtaterā in manu geſtat. in vtroq; penſu iuſtici
am et miſericordiā portat. p iuſticiā promit pec
cati ſententiā. per miſericordiā peccati tempat
penam. ut iuſto libramine quedā per equitatē
corrigat. quedā vero per miſeracōem indulge
at. Qui dei iudicia oculis ſuis proponit. ſemper
timēs tremēſq; in omni negocio reformidat ne
de iuſticie tramite deuians cadit. et vnde non

iuſtificatur inde pocius ↄdēpnetur.

## De prauis iudicibus. Cap. xx.

GEminem ſtultorum vel improborum opor
tere iudicem eſſe. Nam ſtultus per ignaui
am ignorat iuſticiam. improbus autē per cupi
ditatem corrumpit ipſam. magis ꝙ̄ dicat veri
tatem. Grauius lacerātur a prauis iudicibus
pauperes. ꝙ̄ a cruētiſſimis hoſtibꝫ Nullꝰ enim
predo tā cupidus in alienis. ꝙ̄ iudex iniquꝰ in
ſuis. Latrones in acceſſis faucibꝫ ac latebroſis
latentes inſidias ponunt. iſti palam rapacita
tis auaricia ſeuiunt. Hoſtes in alienorum ſan
guinem tantum intendunt. iudices mali qua
ſi crudeliſſimi carnifices ciuium oppreſſione ſua
ſubiectorum vitā extinguūt. Qui enim deſtru
ant multi ſunt. rari ſūt qui populos legum mo
deracōne regant. Plerumqꝫ et boni iudices ſūt
ſed miniſtros raptores habent. Horum figurā
ut ait quidam tamꝙ̄ ſcilla pingitur atqꝫ deſcri
bitur. Ipſa quidem humana ſpecie formatur. ſ;
capitibꝫ caninis accincta et circundata fertur.
Nō aliter quibuſdā poteſtatibus accidit. ut ip
ſorum humanitatē. immanitas iniquorū ſoci
orū pturbet. Sepe iudices mali cupiditatis cau
ſa aut differunt aut puertunt iudicia. nec fini
unt certa pciū negocia. quouſqꝫ marſubia eorꝫ
q̄ cauſant exhauriāt. nō cauſā ſ; dona ↄſiderāt

⁊ ſicut negligētes ſunt in diſcuſſione cauſarū
um. ſic in eorū dāpno ſollicitū ſunt. Judices pra
ui iuxta ꝓphete verbū. quaſi lupi veſpe non re
linquūt in mane. hoc eſt. de preſentis vite cōmo
dis tātū cogitāt. nō de futuris. Vita enim iſta
veſperū. futura vero mane accipitur. Et bene a
it quaſi lupi. quia more luporū cuncta diripiūt
⁊ vix pauca pauperibꝫ derelinquūt.

De verboſis ⁊ iracūdis iudicibꝰ. Cap. 76.

Verboſi iudices ⁊ elati. ut ſapientes videan
tur. non diſcutiūt cauſas ſꝫ aſſerunt. ſicqꝫ
cōturbant iudicij ordinem dum nō ſuo contēti
iudicō aliena preſumūt. Quidam dū iudicare
incipiūt iraſcuntur. ipſāqꝫ iudicij ſentenciam
in inſaniā vertunt. De quibus recte per ꝓphetā
dicitꝰ. Qui cōuertūt in furorē iudiciū. Qui enim
iratus iudicat in furorē iudiciū mutat. ⁊ āte ꝓ
fert ſentenciā quā agnoſcat. Furor iudicis in
ueſtigacōnem veri nō valet attingere. qꝛ mēs
eius turbata furore. a bſcrutacōe alienatur iu
ſticie. Iracūdus iudex iudicij examē ɔtueri nō
valet. qui a caligine furoris non videt. Qui re
cte autē repulſum furorē diſcutit. facilīꝰ ad con
tuendā veritatem mētis ſerenitate cōſurgit. ⁊
ſine vlla perturbacōne ad equitatis intelligen
ciam peruenit.

De pſonarū accepcōne. Cap. 77.

Non ē in iudicō pſona diſcernēda ſꝫ cauſa. Scriptum eſt enim. nō accipias perſonam in iudicō. Et iterū. Non miſereberis pauperi in iudicio. Qui enim cōſanguinitatis vel amicitie fauore ſiue inimicitiarū odio iudiciū peruertūt ſine dubio in xp̄m qui eſt veritas ⁊ iuſticia peccare noſcuntur. Iniqui iudices errāt in veritate ſentencie. dum intendūt in qualitatem perſone. ⁊ exulcerant ſepe iuſtos. dum improbe defendunt iniquos. Qui autē recte preſidere ſtudet nec patrē palpare nouit. nec cohibere a iuſticia didicit.

De muneribꝫ. Cap. 78.

Qui recte iudicat et premium inde remuneracōnis expectat. fraudem in dominum perpetrat. quia iuſticiam quā gratis impertire debuit accepcōne pecunie vendit. Bona male vtunt̄ qui iuſte pro tempali lucro iudicant. Tales quippe ad veritatē non iuſticie defenſio ſꝫ amor premij ꝓuocat. Quibꝫ ſi ſpes nūmi ſbtrahitur cōfeſtim a iuſticie defenſione recedunt. Accepcio munerum preuaricacō veritatis eſt. Vnde ⁊ pro iuſto dicitur. Qui excutit manus ab omni munere in excelſis habitat. Diues muneribus cito corrumpit iudicem. pauper autem dum non habet quod offerat. non ſolum audiri ɔtēpnitur. ſꝫ etiā cōtra veritatem opprimit̄

Cito violatur auaritia iuſticia. nullāq; reus p
timeſcit culpā quā redimere nūmis exiſtimat
Plus enim obtinet mētē ceſoris amor lucri q̄
equitas iudicij. Tres ſunt numerꝫ acceptões
quib⁹ iuſtitiā humana vanitas mutat. id eſt
fauor amicitiarū. adulacō laudis. ꝛ corporal' ac
cepcō muneris. Facili⁹ aūt puertitur animus
iudicis. rei corporali munere quā gratie laudis
q; fauore. Quatuor modis humanū iudicium
puertit. timore. cupiditate. odio. amore. Timo
re. dum metu alicuius poteſtatis. veritatē loq̄
paueſcimus. Cupiditate. dū premio alicuius
muneris corrūpimur. Odio. dū cōtra quelibet
aduerſari molimur. Amore. dū amico. l' ꝓpin
quis preſtare cōtendimus. Hijs enim quatuor
cauſis ſepe equitas violat. ſepe innocētia ledit

¶ De teſtibus. ¶ Cap. 19.

ET ſi mendaciū gratis dicitur. quanto ma
gis ſi veniale queratur. neq; enim deerit
multiplex ↄuentus falſorū. ſi tantū preſētia ſit
nūmorū. Teſtis falſidicus tribus eſt perſonis
obnoxius. Primo deo. quē piurādo cōtempnit
Scdo iudici. quem mētiēdo fallit. poſtremo in
nocētie. quā falſo teſtimonio ledit. Teſtibus
falſis cōiūctis tarde mendacij falſitas repitur
Quod ſi ſepati fuerint examino iudicatis. cito
manifeſtat. Nā ſicut in vnitate puorꝫ grādis

eſt fortitudo. ita et in ſeparacōne maior infirmi
tas fraudulentie cito reprehenditur menda
cium. Falcidi corū enim teſtimoniū ſibi non cō
uenit. Vnum pene crimen habent et qui fal
ſitatem promit. et qui veritatē ſupprimit. quia il
le obeſſe vult. et iſte prodeſſe nō vult. Peior au
tem eſt teſtis qui ledit. quam qui preſtare nō vult
Nam ille malignus eſt. iſte inutil'. Jniquus te
ſtis quamuis ſua falſitate veritatē corrumpat reb3
q3 impediat. animo tamē nichil dampni confi
ciet. erit autem ille apud deum cōdempnatus.
quia aduerſus innocētem falſum teſtimonium
vel dicit. vel dicētibus credit. Nam non ſolum
ille reus ē. qui falſum de alio profert. ſed et hij
qui cito aurem criminibus pbet. Qui metu po
teſtatis veritatem occultat. iracundiam ſibi ce
litus prouocat. quia plus pertimeſcit homine3
quam diuinam trepidat indignacōem. Beatus cu
ius teſtimonio inocēs ab ſcelē obiecto purgat
impi9 cu9 pdicōne etiā iniqu9 perimit. neq3 ē
nim decet xpianū morti obnoxios prodere. et ad
effundendum ſanguinem infelicium vocem te
ſtificacōis prebere. Sermo enim iuſti hominis
tantum ad miniſterium debet eſſe ſalutis. Jta e
nim indignacōnes et tribulacōnes et immiſſio
nes p angelos malos.

De cauſidicis. Cap. 60.

NEgociorũ forenſiũ ſectatores ꝓpter ꝓximi dilectionẽ· ſeculare negociũ deſerere debẽt aut certe manẽte ꝓximi caritate nogocium ſequãtur terrenũ. Sed qꝛ perraꝝ eſt ut inter iurgantes caritas maneat. poſtponenda ẽ rei cauſa cõ ut pſeueret dilectio. Antiqui forenſiũ eloquenciã· caninam facũdiã nũcupabant eo qꝺ cauſidici incertaminib⁹ cauſaꝝ· omiſſis que agunt veluti canes altrutꝝ ſeſe lacerãt· iurgia qꝫ cauſarũ ad iniurias ſuas ꝯmutãt.

De oppreſſoribꝫ pauperum. Cap. 61.

PAuperũ oppreſſores tunc ſe ſciãt grauari ꝓdigna ſentẽcia. quãdo preualuerint hijs quos nocere voluerint. Nã tanto atrocius in futuro ſupplicĩõ ꝯdempnandi ſũt. quãto hic forcius contra miſerorũ vitam inualuerint. Audiant iudices ꝛ qui preſunt populis. qꝛ pro tpalibus moleſtijs quas plebibus ingerũt eterno incendio cremabunt. teſtante domino p yſaiã ꝓphetam. Iratus ſũ inquit ſuper populũ meum ꝛ dedi eos in manu tua· non poſuiſti eis miſericordiã· aggrauaſti iugũ tuum valde. Deſcende in puluerẽ· ſede· tace. ꝛ intra tenebras. veniet ſup te malũ. ꝛ neſcies vnde ortũ eſt. et irruet ſuper te calamitas quã non poteris expiare. Veniet ſup te repẽte miſeria quam neſcis. Magis mala faciẽtib⁹· q̃ mala pacientibꝫ dolẽ debem⁹

Illi enim mala faciendo in malū proficiūt. iſti paciēdo a malo corrigūtur. Deus aūt p malas volūtates alioꝝ in aliis multa opat bona. Malignāciū hoim volūtas neqꝙ poteſt impleri niſi deus dederit ptātē. Nā dum hoies deo pmittēte malum qd ꝯcupiſcūt pficiunt. ipſe dz facē qd permittit. Inde eſt qd ſcriptū eſt p ꝓphetam Si erit malum qd dominꝰ nō fecit. Verūptamē qd iniq malum ex voluntate ꝙrūt. id circo deꝰ pficiendi dat poteſtatē p ſuā bonā volūtatē. qꝛ de noſtro malo ipſe multa opatur bona. Quidam cum dei voluntate reſiſtunt neſciētes dei conſilium faciunt. quo noueris ſic deo ſubiecta eſſe omnia. ut ꝯ ipſe qui eius diſpenſacōne aduerſantur. eius impleant voluntatem. Proptetea in hac vita boni iudicantur a malis. ut iterum in illa vita mali iudicentur a bonis. Siue ūt etiam ſit hic bonis temporalis afflictio ꝯ illic eterna retributio. Id circo neceſſarii ſunt mali. ut quociens boni offendunt. flagellentur a malis. Hinc eſt qd aſſur virgam furoris ſui teſtatur dominus. Sed quociens ita fit. de dei indignacōne procedit. ut deus per illos in eos ſeuiat quos flagellādo emendare deſiderat. ſꝫ ille iuſtiſſima voluntate. illi vero pcutere crudeli intēcōe ſicut p ꝓphetā dicit de eodē aſſur. Ipē aūt nō ſic arbitrat. ſꝫ ad ꝯterendū patū ē cor eius.

Atrocē ſuper eos diuinū furorem habebūt qui
exiſtunt pſecutores ⁊ violenti fidelibꝫ. Conſolā
do enim eos quos ita iudicari deus pmittit per
ꝓphetā loquit. Aduerſus eos qui iudicauerūt
te ego iudicabo. ⁊ cibabo hoſtes tuos carnibus
ſuis ⁊ quaſi a muſto ſanguine ſuo inebriabūt
Habet aliquē vſum ⁊ malorū iniquitas ꝙ ele
ctos dei ſuis moribus laniant. ac per hoc vita
impioꝝ ſibi deperit. iuſtorū autē non perit. ſed
ꝓficit. dum eos mali pturbacōnis exercitio ad
preſentem odiendā vitam ⁊ futuram deſiderā
dam erudiāt. Interdum enim ꝓdeſt prauorū
puerſitas vtilitati iuſtorū dum eos malitia ſu
a erudiūt et ad regna celorū requirenda mole
ſtia tpali impellunt. Probatur hoc exemplis
iſrlitice plebis que tunc durius angebatur in
egipto. quando oportebat eā p moyſē ad terrā
repromiſſionis vocari. ⁊ ex mal' que in egipto
paciebatur diſcedere ⁊ ad promiſſam patriā fe
ſtinare. Iniqui dū cōſtanciā iuſti in perſecucōi
bus aſpiciūt mentis cōfuſione tabeſcūt ⁊ dum
aduerſa intentāt nec vincunt. tandem de ſua p
uerſitatis inſania cōfunduntur. Stulti cōtra bo
nos ſtudiū ſemper aſſumūt. quibꝰ dum ꝓſpi
tas elucet iactātur. de ſuis meritis gloriātur. ⁊
bonorum atqꝫ iuſtoꝝ afflictionibus detrahunt
dūqꝫ eis adūſa ꝯtigerint mox ad blaſphemiā

